





5144  
Q. D. B. V.  
DISSERTATIO JVRIDICA  
<sup>DE</sup>  
**SENATVS CON-**  
**SVLTO MACEDO-**  
**NIANO,**

<sup>QVAM</sup>  
SUMMO RERVM ARBITRO JVVANTE  
PRÆSIDE  
VIRO  
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CON-  
SVLTISSIMO, EXCELLENTISSIMO QVE  
<sup>2/2</sup>  
DOMINO  
**D. JO. HENR. BOECLERO,**  
JCTO, ET IN ACADEMIA ARGENTORAT.  
JVR. PVBL. PROF. PVBL. ORD. CELEBERR.  
CAPIT. AD D. THOMÆ CANONICO,  
**STVDIORVM SVORVM PATRONO**  
& PROMOTORE BENIGNISSIMO,  
SOLENNI EXAMINI SVBMITTET  
AVCTOR  
**DAVID NICOLAVS ROSSEL,**  
MONTISBELGARD.

A. D. 29. NOV. A. CLO 10 CC XV.

LITERIS **JOHANNIS PASTORII.**

35  
*M*  
*1795.1.*

V I R O.

NOBILISSIMO. AMPLISSIMO. ATQVE.  
EXCELENTISSIMO.

DOMINO.

ELIAE. SILBERRADIO.

MOR. CIV. ET. JVR. NAT. PHIL. PROF. PVBL. ORD.  
CELEBERR. ECCLESIASTI. MERITISSIMO.

QVOD. NON. HOSPITIO. MODO. EXCIPERE. SED.  
OPE. ETIAM. ATQVE. CONSILIO. DE. SE. STVDISQUE.  
ISVIS. OPTIME. HACTENVS. MERERI. VOLVERIT.  
ET. QVOTIDIE. MEREATVR.

VT. ET.

V I R O.

NOBILISSIMO. SPECTATISSIMO.  
HONORATISSIMO QVÆ.

DOMINO.

JO. HEINR. OBRECHTO.

FRVMENTARIE. REI. IN. INCLVTA. ARGENT.  
CIVITATE. PRÆFECTO. MERITISSIMO.

QVOD. ET. IPSE. PER. PLVRES. ANNOS. NON. HO-  
SPITIS. MAGIS. BENIGNISSIMI. QVAM. PARENTIS.  
FIDELISSIMI. MVNERE. FVNGI. DEDIGNA-

TVS. HAVD. FVERIT.

QUALISCVNQVE. OPELLÆ. HVIVS. ACADEMICÆ.  
INSCRIPTIONE. MENTEM. BENEFICIORVM. LARGITER.  
IN. SE. COLLATORVM. MEMOREM.


TESTARI.

DE. MENTE. GRATA. PER. OFFICIA. RECIPROCA.  
POSTHAC. SI. VITAM. DEDERIT. VITÆ. STA-  
TOR. DEMONSTRANDA. FIDEM. FACERE.

SE QVÆ.

POST. PROLIXISSIMA. PRO. SALVTE. IPSORVM.  
VOTA. ULTERIORI. FAVORI. ET. AMORI.  
COMMENDARE. VOLVIT.

DAVID. NICOL. ROSSEL.



I. & J.

DISSERTATIONIS JURIDICÆ,

D E

SENATUSCONSULTO  
MACEDONIANO.

THESIS I.

**P**Riusquam rem ipsam ag-  
grediamur, videndum ante Quis Fili-  
us familiæ?  
omnia, quinam Romani  
Juris stylo Filiorumfami-  
lias nomine veniant; illi  
nimirum qui adhuc Patriæ potestati sub-  
sunt, l. 4. & de his qui sui vel alieni  
jur. & quibus imperandi potestas quoad  
personas & res ipsorum parenti competit  
l. 4. & de R. J. & l. 6. C. de bonis que li-  
ber. non iij qui vel patria potestate soluti,

A 2 vel

vel respectu quorundam peculiorum, Ca-  
strensum puta vel quasi Castrensum pro  
Patribusfamilias & ipsi habentur. *l. i. & 2.  
ff. de SCto Maced.*

## THES. II.

*Definitio  
SCti Ma-  
cedon.*

Quid SCti Macedoniani nomine ve-  
niat verbis clarissimis expressit B. LAUTER-  
BACH. ad *¶ XIV, 6.* Jus nimirum à Senatu  
Romano (Auctore Vespasiano Imperato-  
re, SUETON. in *d. Imp. c. II.*) constitutum,  
quo cavetur, ne creditoribus, qui Filiisfa-  
milias mutuam pecuniam dederunt effi-  
cax actio detur. Cujus proinde exceptio-  
ne opposita, actio à creditore instituta eli-  
ditur. *l. II, 2. ¶ de R. f.*

## THES. III.

*Eπομολο-  
γίαν οὐκις.*  
Nominis derivationem ipsa *l. I. ¶ de  
SCto Maced.* suppeditat, Macedonem sci-  
licet illum foeneratorum famosissimum  
atque corrumpendæ juventutis insignem  
artificem condendo eidem dedisse occa-  
sionem. Tanta quippe ejus improbitas  
erat, ut eidem, & quæ inde vires sumebat  
ado-

adolescentum luxuriæ Magistratus Romanus occurrentum putaret, quo peccandi præscinderetur materia. Evidem ut TACIT. memoriae prodidit *Ann. VI, 16, 2.* *vetus urbi fænebre malum & seditionum discordiarumque creberrima caussa*, & plurima etiam inde orta fuerunt mala. FLORO teste *I, 23.* Hinc & variis illa foeneratorum improbitas coercita legibus antiquis, ut TAC. *I. c.* loquitur, & minus corruptis moribus. Ut adeo non videam, qui ætatem hujus SCti incertam dicat *Illustris memoriae SCHILTER. Exerc. XXVII. ad e. §. 61.* ut ut enim nullam alias sui meritus sit Maledo ille mentionem, *Suetonij* tamen *§. 2.* allegatus locus, de ætate nostri SCti Maled. vix nos dubitare sinit, conf. H. GROT. Flor. Spars. *ad ius Justin. d. SCto Maled.*

## THES. IV.

Cum vero in præsentiarum id agam, ut ostendam quatenus exceptione SCti hujus uti Filiisfamilias liceat vel non, conscientia utique aliqua facienda erit mentio, Methodum tractandi & argu- menti dif- ficultatem, sufficit.

A 3

ut

ut videamus, in quantum leges civiles cum interno conscientiae dictamine vel convenient vel non convenient. Quam in rem egregia est *l. 15. a. de cond. Instit. qua facta laudent pietatem, existimationem, verecundiam nostram & contra bonos mores sunt, ea nos facere non posse credendum est.* Quod vero ab argumenti hujus ventilatione deterrere me poterat, hoc est, quod tam diversas virorum celeberrimorum circa idem versantium, deprehendenter sententias; aliis, nostri seculi humanitati morumque mansuetudini SCtum Maced. plane repugnare statuentibus. *Vid Jo. Jac. WISSENBACH. Jctus Franeq. ad a. D. 28. S. 33.* Aliis & pluribus quidem sine multis limitationibus, usum eiusdem concedentibus. Hinc veniam eo faciliorem, expecto, si in arguento, cuius decisio, maximos inter Doctores peperit dissensus, mihi quoque humani quid pati contigerit.

TH. V.

## THES. V.

Illud itaque ante omnia in controver-  
siam venit : *Utrum SCti hujus beneficio*  
*Filiisfamilias ab omni prorsus obligatio-*  
*nis vinculo eximere sese queant?* *Aequita-*  
tem hic naturalem si cum ipsis juris Civi-  
lis principiis conferas, deprehendes facile  
illud, obligatos utique naturaliter esse Fi-  
liosfamilias ex ipsa mutui acceptatione.  
Quod enim mutuo accipiens ad restitu-  
tionem ejus obligetur non sacræ modo ta-  
bulæ *Pf. XXXVII, 21. Syr. XXIX, 1. sqq.*  
sed ipsa prima juris connati omnibus,  
principia inculcant : Quo pertinet nobi-  
lissima illa à Sacrat. IMPER. §. 3. Just. de J.  
& J. proposita regula : *Neminem esse la-*  
*dendum;* cuius sane præcepti vis, (summo  
PUFFEND. de *J. N. & G. & J. III, 1, 1. & 3.*  
*de O. H. & C. 16, 5. docente) per omnia*  
instituta actus & conventiones sese exse-  
rit, adeoque eam quoque læsionem com-  
plectitur, qua damnum alterius rebus vel  
occasione earum infertur. Quid enim  
æquius

*Superesse  
vinc. obli-  
gat. ex.  
Juris nat.  
principio,  
prob.*

æquius quam illi, cuius utilitatem promovere tenemur non nocere ? SEN. monente  
*Ep. 98.* Gravissimum autem omnino illi  
 à me daretur damnum, qui mutuum mihi dedit, si ab omni obligatione ad illud  
 restituendum, me eximere vellem.

## THES. VI.

*Idem prob.* Cui præcepto Imperator in alleg. §. 3.  
*porro.* alterum ex ipso rectæ rationis dictamine procedens principium addit ; *Suum cuiq;*  
*esse tribuendum*, satis hoc ipso innuens ipsas primas juris antiquissimi regulas negligere, qui mutuam à creditore acceptam pecuniam, restituere, & obligacionem naturalem agnoscere detrectat. Quibus omnibus illud accedit, ipsam societatis humanæ tranquillitatem in hoc negotio versari, in quantum nimirum non nisi pactorum promissorumque salva sanctimonia, salva eadem esse potest : Vid. ARISTOT. L. I. RHETOR. c. XV.

Οὕτοις ἀπίστει, καὶ ἀναγένει συνθήκει, τὰς νόμους αὐτούς. "Ετιδέ, πράττεται τὰ πολλὰ τοῦ συναδηλωμάτων, καὶ τὰ ἐνδοτα κατα-

συν-

συντίκει. Όσε αὐτούς νηρομένων, ἀναγένεται ο πόδες αλλάζει  
χρέα τοῦ ανθρώπου. Quicunque fidem fallit, pa-  
tionesque subvertit, is leges ipsas tollere  
videtur. Præterea pleraque inter homi-  
nes negotia pactis continentur: ut si quis  
ea irrita faciat, is eadem opera mutuum  
inter homines commercium tollat. & VLP-  
PIAN. in l. I. c. de pac̄t. Nihil, inquit, Fi-  
dei humana tam congruum est, quam  
ea qua inter nos placuerunt servare. conf.  
H. GROT. de J. B. & P. L. 2. c. II. §. 4.  
ILL. THOMAS. Jurispr. Div. L. 2. c. 7. Cum  
itaque ille, qui mutuam filiofamilias de-  
dit pecuniam, ipsis fecutus sit fidem, is  
fallens deinde eandem ipsi, Juris Civi-  
lis etiam contraveniret legi 75. de R. I.  
jubenti, ne quis suam voluntatem in alte-  
rius mutet præjudicium; Ut taceam le-  
gem gratitudinis, quæ, cum beneficij in-  
star sit, mutuum dare, ad restituendum  
idem serio obligat. Sed quid, si invali-  
de contrahant, ulla ne ipforum erit obli-  
gatio? Quis vero eos invalide contra-

B here

here dicat, qui negotium, de quo agitur, intelligunt, ratione æque gaudentes, ac isti cum quibus paciscuntur? sola igitur filiosfamilias qualitas liberare ab obligatione debitorem haud potest, cum insolens sit, subveniri peculiariter hominibus, nisi id vel infantia, vel furor, vel alia eorum exigat conditio. Vid. GROT. de J. B. & P. 2, 11, 5. & HAHN. ad Wesenbec. de SCto Maced. n. 2. Ex quibus adeo colligo ad pecuniam restituendam obligatos esse filiosfamilias, ut ut effectum obligationis circumscribere leges Civiles vel & tollere penitus possint.

## THES. VII.

*Utui obli-* Dubio namque illud caret, posse vo-  
*gat. illum* luntate superioris obligationem subditos  
*effectus tol-* rum naturalem irritam reddi, quod JCtus  
*li possit in* 1, 6. & de J. & J. innuere videtur: *Jus,*  
*F. Civ.* *inquiens, Civile effici, dum juri naturali*  
*aliquid additur vel detrahitur.* Cujus  
*illustre in SCto Vellejano exemplum est,*  
*quo sane naturalem obligationem irritam*  
*esse*

esse voluit Legislator l. 16. §. 1. ff. SCt. Vellej.

Et l. 9. C. eod.

THES. VIII.

Sed non opus est pluribus demonstra- *Argum. ex*  
re, obligationem naturalem per SCtum *J. Civ. pro*  
*Maced.* neque extinctam esse, neque et- *obligat.*  
iam extingui potuisse; cum id ipsum ipsa *nat. ma-*  
*l. 10. a. de SCto Maced.* fateatur; *natu-*  
*ralalem obligationem manere,* professa. E-  
andem naturalem obligationem effectu  
etiam suo haud destitui, per id satis innui-  
tur, cum filiusfamilias solutum à creditore  
repitere prohibeatur. *l. 40. a. de condicō.*  
*ind.* Habet vero indebiti condicō locum  
toties, quoties solutum est indebitum na-  
turaliter, *Vid. l. 10. a. de O,* Et *A. l. 16. §.*  
*4. a. de fidei.* Et nunquam Senatum Ro-  
manum nostro Senatusconsulto id voluis-  
se, ut filijfamilias ab obligatione naturali  
exempti essent, ex ipsis ULPIANI verbis *l. 9.*  
*§. 4. a. de Sanatusconsulto Maced.* pate-  
scit, ubi, ob odium creditorum ab actione  
liberati filijfamilias dicuntur, non quod

KL HT

B 2

eos

eos lex exonerare voluerit, conf. B. BRUNNEM. ad l. 7. Cod. de S<sup>c</sup>to Maced. n. 8. & III. SCHILTER. noſter Exerc. ad a. XXVII. §. 65. ubi CARPOVII ex decis. 256, 32. contraria sententiam, in favorem ſcil. filiorumfamilias primario hoc S<sup>c</sup>Ctum factum eſſe, allegat, & rejicit. Ex quibus omnibus tandem concludo: filiosfamilias ad reſtitutionem mutuo accepti in conſcienza omnino teneri, ejusdemque naturalis obligationis efficaciam, in eo praecepue conſistere, quod quamvis actionem civilem eadem haud producat, hominum tamen conſcientias stringat, ut facile cognoscere queant, ſe, ubi huic non ſatisficerint, Summi Legislatoris voluntati, legibusque naturalibus expreſſe repugnare, & ſic in conſcienza haud poſſe tutos eſſe. Vid. BRUNNEM. l. c. B. MEVIUS, Tribunal. Wismar. Praes Vicar. decis. Jurisdict. Trib. Reg. P. III. §. 35. n. 17.

TH. IX.

His hactenus observatis non alienum  
erit, alias quasdam controversias propo-  
nere. Solet nimirum illud præcipue in  
quæstionem venire circa Senatuscon-  
sultum Maced. *An renunciare eidem fili-  
us familias possit?* Celeberrimus Viadri-  
næ Academiæ Doctor, aliquoties jam no-  
bis laudatus Jo. BRUNNEMANNUS in *Com-  
ment. ad Cod. L. 4. T. 28. n. 6.* negativam  
amplectitur eâ potissimum ratione indu-  
ctus, quod non tam in favorem filiorum-  
familias atque Parentum, quam in odi-  
um fœneratorum vim publicæ legis idem  
fuerit naëtum; sicque adeo publica uti-  
litas Reipublicæ, quam potissimum inten-  
dit legislator renunciatione tali concessa  
non obtineatur, sed delictis potius præ-  
beatur occasio. Quæ eadem Illustris quo-  
que SCHILTERI nostri *Exerc. ad n. 27. Th.*  
*LXX.* hac de re sententia est. A quibus  
venerandis justitiæ sacerdotibus recedere  
nulla nos ratio jubet.

*Quæstiones  
quædam  
hic deci-  
denda.*

I.

Hac itaque sententia stante obscurum esse non videtur, quid ad eam respondendum sit quæstionem , quam itidem  
II. ventilari hic videas: *Valeat ne renuntiatio SCto Maced. à filiofamilias jurato facta?* Namque ut debitorem magis sibi obstringat, & res suas salvas reddat certasque creditor , fieri potest, & fit, ut filiumfamilias, eo tempore quo mutuum ipsi dat, eo adstringat, ut jurato promittat SCti Maced. exceptione adversus creditorem nunquam se posthac usurum. Hinc inter Dd. jam dudum fuit dubitatum, an renuntiatio hæc juramento confirmata, eum habere debeat effectum, ut conventus filiusfamilias exceptionem opponere nequeat : sive quæsitum inter Doctores fuit: *Utrum juramentum additum renuntiacioni SCti M. sit obligatorium?* Qui negativam amplectuntur sententiam, plures sunt, quos inter *Bachovium, Habnium, Barbosam*, allegat *LAUTERBACH. comp. jur.*

jur. ad Tit. de SCto Maced. in f. qui &  
 ipse nec de jure Canonico, nec secundum  
 conscientiam obligationem exinde oriri  
 putat, idque ex eo quod revera juramen-  
 tum hoc iniquitatis vinculum evaderet,  
 & in patris præjudicium tenderet. HIER.  
 TREUTLERUS *Confil. Imper. & Jctus Ce-*  
*leberrimus Vol. 1. Disp. 18. I. 7.* hac de  
 quæstione ita differit: sibi sc. persuasissi-  
 mum esse, quod affirmantium opinio fal-  
 sissima sit, quia SCtum Maced. publicam  
 respicit utilitatem, ac providet, ne filijfa-  
 milias corrumpantur, & delictis fenestra  
 aperiatur, atque occasio illis præbeatur  
 vitæ parentum insidiandi. Juramentum  
 itaque istud (sic pergit) quo SCto huic  
 renunciatur, esse contra bonos mores, pu-  
 blicæ repugnare utilitati, occasionem deni-  
 que præbere filios fam. corrumpendi, &  
 parentum vitæ insidiandi, atq; hinc etiam  
 jure Canonico improbari; verbo, defice-  
 re justitiam. *Vid. Cel. Hallensis Jct. Dn.*  
*Jac. Fr. LUDOVICI. Diff. Jurid. de genuino*  
 in-

intellectu brocardici vulgaris ; Omne juramentum servandum est , quod salva salute aeterna servari potest . Illustris SCHILTERI nostri Exerc . XXVII . ad . § . LXX . illud decisum est in hac quæstione : Nullam plane conscientiæ induci per ejusmodi juramentum obligationem : cum jurisjurandi religio iniquitatis ac luxuriæ instrumentum esse non possit nec debeat ; attamen plane , inquit , consultum est , ut filius familias sive jurato promiserit solutionem , sive renuncia verit SCto jurejurando , à creditore petitus relaxationem & refectionem juramenti impetrat , atque ob factum suum illicitum nec ex eo lucrum capiat , summam debitam causis piis , aut reipublica solvat pœnae instar . Poterat enim & legislator non tantum creditori actionem denegare , sed & summam debitam post mortem patris fisco addicere .

## THES. XI.

Sunt vero è contrario alij nonnulli , qui tutissimam hic eorum sententiam putant ,

tant, qui optimè consulere filiosfamilias, animæ suæ dicunt, si penitus hoc remedium in hoc casu neglexerint. Atque hifere brocardicum modo allegatum urgenter; juramenta scilicet quæ salva salute æterna servari possunt, servanda esse, nisi cedant in tertij præjudicium, unde eum casum iidem excipiunt, quo Pater adhuc vivit, hoc vero mortuo adeoque præjudicio ejus cessante, nullum exceptioni relinquendum esse locum contendunt. Et sic in Fac. Juridic. & Curia supr. Prov. Lips. prænunciatum monet CARPOVIUS, *P. III. decis. 256. n. 13. seqq.* Reipublicæ vero præjudicium in dubio tantum non esse, ut juramentum reddatur irritum, cum leges solutionem fieri nunquam prohibuerint. Quod enim in *l. 45. S. I. ad de R. J.* dicitur: Privatorum conventionem juri publico non denegare, illud de jure arbitrio privatorum tantum exento intelligunt, cum jure pro se introducto quilibet uti non possit. *l. pen. Cod. de pact.*

C

Et

Et laudatus s<sup>e</sup>pe JCtus. Prussicus ex jure  
Canonico si pronunciandum sit, arbitra-  
tur, juramento facto salvâ conscientia  
contravenire haud posse filiumfamilias,  
quod sufficiat sine peccato eidem satisfie-  
ri posse, & morum corruptio nonnisi per  
accidens sequatur, nec etiam filiusfamilias  
insidias struere velle patri præsumatur,  
quando juramenti religione motus, mu-  
tuum sibi solvendum esse putet. Quas  
quidem lites componere meum non est,  
ut ut quæ pro affirmativâ militant, fortio-  
ra mihi videantur argumenta.

## THES. XII.

III. Solet denique imprimis illa adhuc  
moveri quæstio: *An si filiusfamilias invito  
patre literis operam dans mutuo pecuniam  
acceperit, mutuum hoc repeti à Patre pos-  
sit?* Cum vero ex aliis decidenda hæc sit,  
videndum prius an Pater compelli possit  
sumtus ad studia ministrare & expensas filio  
suo? Pet. REBUFFUS JC. Gallus circa medi-  
um Sec. XVI. in Monti pessullana & Parisina  
cele-

celeberrimus affirmat in tractatu de privilegiis studiosorum privilegio LIII. Primum ex eo, quoniam Pater ad suppeditanda alimenta filio, nec non ad dotandas filias cogi possit, & adeo ad sumptus studiorum cogi possit multo magis. Mox tamen pag. 98. & 99. affirmativam suam restringit ad grammaticam, & ad id tantum, ut legere & scribere filium familias faciat vel aliquam artem discere. Secundo ad eum casum restringit, ubi nulla bona materna vel alia adventitia filio suppetunt. Tertio, si pater dives adeoque ad expensas faciendas potens sit, id quod ex modo facultatum, & filiorum numero arbitrari judex debeat & possit. Videtur utique in genere dicendum Patrem teneri adsumtus studiorum suppeditandos. Quod si porro queratur, an pater invitus cogi possit, ut filio contra voluntatem Patris studenti sumtus subministraret? alij simpliciter affirmant, alij ut DONELLUS, Gallus, & Collegium Argan-

toratense negant de quibus omnibus confer.  
 LAUTERBACH. compendio juris ad Tit. de SCto M.  
*circa finem.* Alii denique distinguunt, an filius  
 excellentissimo ingenio præditus sit, ita ut spes  
 sit eum monstrum eruditionis evasurum esse, an  
 non, ut priori casu quæstionem affirment. No-  
 bis placet sententia Lauterbachij in Coll. Theor.  
 Pract. statuentis rem pro arbitrio prudentis judi-  
 cis ita terminandam, ut nec filius refractarius  
 reddatur, nec pater tenax audiatur.

S. D. G.

**A**d ludos alij celeres ad pocula pleno  
 Cursu contendunt deprosprantque diu.  
 Te semper rapit excelsæ vis mentis, *Amice,*  
*Quod Pater exoptat, Tu Studioſe facis.*  
 Conſcendis Cathedram, natorum jura tueris  
 Jurisconsultum Te fore rite probas.  
 Hinc *Tibi coelestem precor aspirare favorem*  
*Ut Tua successus vota, Patriſque beet.*  
*In honorem Nobilisſ. Auctoris Respondentis, Amici & Convictoris*  
*charifim L. M. Q. hac pauca adſecit*


**M. CHRISTOPH. KAZAUER,**  
 Noribergens. Ord. Phil. Vitemb. Aſſessor.

**A**reem, qua Macedo juvenes corruperat, aurum  
 Incertis ausus credere nominibus;  
 Arguis ē Cathedra, scelerisque exsolvere iuſtam  
 Pœnam, nummorum perditione doces.  
 Te veterum, patet hinc, scrutari prodita facta  
 Et quicquid Themidos jura sacrata monent.  
 Nec non, quam longo diſtent discriminē mores  
 Chare! Tui, & patrias dilacerantis opes.  
 Gratulor inde Tibi toto de peccore. Perge;  
 Et labor aſſiduus premia digna feret.

Gratulabundus apposuit  
**J. C. DIETRICH.**

— 5 —






Strassburg, Diss. 1711-15

X 2310583





35  
M  
1715,1

*Q. D. B. V.*  
DISSERTATIO JVRIDICA  
*DE*  
**SENATVS CON-**  
**SVLTO MACEDO-**  
**NIANO,**  
*QVAM*  
SVMMO RERVM ARBITRO JVVANTE  
PRAESENTE  
VIRO  
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CON-  
SVLTISSIMO, EXCELLENTISSIMO QVE  
*DOMINO*  
**D. JO. HENR. BOECLERO,**  
ICTO, ET IN ACADEMIA ARGENTORAT.  
JVR. PVBL. PROF. PVBL. ORD. CELEBERR.  
CAPIT. AD D. THOMÆ CANONICO,  
**STVDIORVM SVORVM PATRONO**  
& PROMOTORE BENIGNISSIMO,  
SOLENNI EXAMINI SVBMITTET  
AVCTOR  
**DAVID NICOLAVS ROSEL,**  
MONTISBELGARD.  
A. D. 29. NOV. A. CLO 10 CC XV.  
ARGENTORATI,  
LITERIS JOHANNIS PASTORII.